

TVRBAE PHILOSOPHORVM
alterum exemplar.

SENTENTIAE sunt Sapientum, collectæ in tertia Synodo Pythagorica: In qua dicitur Arisleum Philosophum discipulos Hermetis ac Sapientum maiores cōgregasse, & vnumquemque in medium aliquid adferre de lapide vegetabili iussit, vt posteritati ars sacra innotesceret: & qui ad hanc capescendam animum appulissent, ad veritatis semitam ducerentur. Eximindus autem vir senex, & optimi consilij iussus est primus vt loqueretur.

SENTENTIA I.

EXIMINDVS. Vobis doctrinæ filijs notum facio, initium omnium rerum creatarum naturam quandam esse, primam, perpetuam & infinitam, omnia coquentem & regentem, cuius actiones & passionis ab ijs tantum sciuntur & noscuntur, quibus notitia artis sacrae data est. Insuper dico, stellas esse igneas, & aërem ipsas temperare. Nam si aëris spissitudo & humiditas non esset, quæ Solis flammam temperaret, subsistentia omnia Sol combureret. Deus autem aërea separatim constituit, ne combureretur quod in terris creauit. Nonne videtis, ô scientiæ filij, Solem ascendentem in cœlo in aërem vincere & calefacere igne suo, quo calefacto, ad subsistentiam calor peruenit, inspissans & condensans spiritus, è quibus creaturæ generantur? Aër enim coarctatur, & ab aqua continetur, atq; ideo aër superatur, quia eius calor Solis calori, eiusq; humiditas aquæ iungitur humiditati. Nonne videtis tenuem aquam in aërem ascendere calore Solis eminente, & Solem ea deletari ac adiuari? Quòd si aëre tenui suo humore nõ iuaret aqua, proculdubio ignis ipsum superaret. Ignis verò ex aqua abstrahit humorē, quo aër cōtemperatur, & tunc ipsum ignē superat. Ignis ergo & aqua sunt inimici, inter quos nulla est consanguinitas: eò quòd ignis est calidus & siccus: & aqua est frigida & humida. Aër quoque cum sit calidus & humidus, concordiam ha-